



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Aspiratio pro diuina charitate obtine[n]da.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

ratio à me nunquam recedens, cor meum amore sciens, & intima animæ penetrans, Amen.

*Aspiratio sequens crebrius per diem, pro diuina charitate obtinenda, est repetenda.*

**D**ulcis Iesu Deus meus, absorbeat me quæso ignita & melliflua vis amoris tui, quæ penetrat cor meum, purget, & rapiat in se omnia interiora mea, vt sicut flamma ardens, aut ferrum candens, tui amore semper ardeam, totus à me ipso deficiam, te verò solum cogitem, te solum desiderem, te solum sciam, te sentiam, tibi soli inseparabiliter in hæream, Amen.

*Pro Dei amore, ad Deiparam Virginem Mariam, precatio.*

**O** Puella speciosissima, moribus & vitæ sanctimonia quam maximè decorata, ó virtutibus vernantibus odorifera, ac cunctis gratis donisq; cælestibus repleta, vtinam tui me amore vulneres, & tui suauissima dilectio ita cordis mei penetrata faciat, vt omnia mundi præsentis gaudia in nauisem mihi vertantur. O virgo ex regia stirpe orta, atq; in Dei matrem ante mundi constitutionem electa, mei pauperis noli quæso despiciere preces: sed quem tantum tui desiderium capit, vt putet sibi bene esse sine te non posse, in tuam recipe gratiam, piusq; tuum illi ostende vultum, ex cuius consideratione omnes desolati & mœsti reficiuntur. O gloriosissima atque misericordissima domina mea, vtinam in filium tuum me adoptes, & exuberantissimam misericordiam tuam super me effundas, ab omnibusq; malis præsentibus & futuris me protegas, suauissimo tuo cordi me cõstringas, & quicquid tibi in me displicet procul repellas, quo sic tuam voluntatem adimpleam, & quæ obedientis sunt filij, incessanter perficiam, Amen.

*Pro sanctificatione animæ & corporis ad beatissimam Virginem Mariam, precatio.*

**O** Virgo gloriosissima & omni laude dignissima, mater Iesu Christi charissima, per omnia quæ beatissima Trinitas in te & sanctissimis anëbris tuis operata est magna, & per ineffabile illud gaudium quod in conceptu & partu filij Dei sensisti, dignare de singulis membris tuis, dulcedine redundantibus, tanta efficacia in me stillare gratiam tuam, vt perfundatur totum corpus & anima mea, sanctificenturq; omnia membra mea, ita vt de cætero nunquam moueantur ad praua opera, sed seruiant amori tuo cum lætitia, & per amorem viuificentur, regantur, roborentur, perficiantur vsque ad exiccationem medullarum omnium ósium meorum, Amen.

*Pro cordis commutatione & perfectione ad B. Virginem Mariam, precatio.*

**D**ulcissima Domina mea, facias quæso mecum felicissimum cambium. Aufer à me cor meum pessimum, & fac cum illo sicut volueris, & da mihi pro illo cor tuum virgineum sanctum, perfectum, omni gratia & virtute plenum, & in æternum benedictum: aut saltem dilectissima domina, da mihi cor aliud nouum secundum cor tuum humile scilicet, mansuetum, pacificum, castum, mundum, quietum, & charitate Dei & proximi repletum, quod mundum & omnia, quæ in mundo sunt veraciter contemnat, in tribulatione humiliter gaudeat, sui contemptum diligat, Dei honorem sitiat, necessitatibusq; proximorum compati sciat, Amen.

*Pro amore Dei & proximi ad B. Virginem Mariam, precatio.*

Amabi-